



**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

IX. Vtrum dari debeat, vel detur actus fidei acquisitæ, quoties datur actus
fidei supernaturalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

SECTIO IX.

*Utrum dari debeat, vel detur actus fidei
acquisitus, quoties datur actus fidei
supernaturalis.*

Volunt aliquid Recentiores, nunquam elici actum fidei infusam supernaturalem absque aliquo alio assensu concomitanti fidei acquisitæ naturali simul elicitæ: quod in vniuersum docent de omnibus actibus supernaturalibus, semper elici simul cum illis alium actum naturalem, qui regulariter versatur circa idem obiectum formale, & materiale: actus tamen fidei acquisitæ non potest versari circa idem obiectum formale, quia non possumus viribus naturalibus credere propter reuelationem præteritam inuidenter propositam sistendo in ipsa: quare assensus fidei acquisitæ, qui semper comitatur assensum fidei infusæ, debet habere aliud motiui formale, scilicet, motiua humana, propter quæ vltimò credimus per illum actum, Deum reuelasse, v.g. Incarnationem.

Mouentur ad hoc asserendum duplici potissimum fundamento. Primum est, quia per actus omnium virtutum generentur habitus, seu facilitas ad illud obiectum postea amplectendum, ut constat in homine fidei frequenter eliciente actus fidei, vel in diligente frequenter Deum, &c. hæc autem facilitas, seu habitus non potest generari ab actibus supernaturalibus, quia hi non generant habitus, sed generantur ab illis: actus enim non generant habitus, nisi ad similes actus eliciendos; vnde deberet esse habitus supernaturalis, quod fieri non potest, quia habitus supernaturales non sunt ad facile, sed ad simpliciter posse, habent enim se per modum potentia ad suos actus.

Secundum fundamentum est, quia si esset solus actus supernaturalis absque alio naturali, non posset nobis cognosci, cum enim sit ens supernaturalis, non posset intellectus absque aliquo lumine superiori illum percipere, atque adeo nec presentem experiremur, nec præteriti recordaremur. Fatendum ergo est, interuenire simul alios actus naturales, quos experimur, & cognoscimus præsentem, & quorum postea recordamur.

Addunt tertiam rationem, quæ potest esse à priori quod scilicet potentia, cui sufficienter applicatur obiectum suum, non est, cur non operetur circa illud: voluntati autem proponitur obiectum honestum per cognitionem supernaturalem fidei, & simul per cognitionem naturalem, ergo applicans se ad operandum circa obiectum propositum operatur utroque modo, scilicet, ut potentia naturalis, & ut potentia eleuata ad actus supernaturales.

In hoc modo opinandi duo puncta continentur: primum est, dari semper cum actu supernaturali illum alium actum naturalem: quod quidem habet aliquos auctores, cum quibus sentit P. Iacobus Granado in 1.2. controuersia 4. de habitu in communis disp. 4. n.12. Alterum verò quod prædicta sententia addit, scilicet non percipi à nobis actus supernaturales, sed solos naturales singulare est, & contra mentem Theologorum omnium, & Patrum, De primo puncto dixi disp. 20.

de Incarnatione sect. 2. n. 27. ubi illam sententiam reieci: & nunc iterum displicet Primò, quia fundamentum illud desumptum ex habitibus, & facilitate, quæ experimur, retorqueri potest ad hominem: ipsi enim fatentur, actum fidei infusam, & actum fidei naturalem non versari circa idem obiectum formale. Peto ergo an qui frequenter se exercet in actibus fidei infusæ intensissimis, & feruentissimis habeat post longum tempus facilitatem aliquam ad credendum propter testimonium Dei, maiorem quàm hæreticus, qui nunquam credidit propter testimonium Dei, sed propter motiua humana. Si habet, ergo actus supernaturales generantur illam facilitatem: nam in eorum sententia actus naturales semper sistunt in motiui humano. Si verò non habet ullam facilitatem, eodem modo negari poterit facilitas post alios actus supernaturales: non enim magis experimur facilitatem ad amandum Deum propter ipsum, & sistendo in ipso post actus amoris, quàm ad credendum Deo propter ipsius testimonium, & sistendo in ipso, & quidem cum sit difficultas non exigua, ut aduersarij fatentur, in credenda reuelatione Dei præterita propter ipsam sistendo in illa; negari non potest, quod illa difficultas, quæcumque sit: exercitio, & visu credendi decreseat, acut difficultas quam habent alij actus: quidquid enim dixeris de facilitate ad credendum propter tale obiectum formale absque habitu, & quocumque modo eam explicueris; poteris idem dicere, & eodem modo explicare facilitatem quàm experimur ad alios actus. Quomodo autem generetur ea facilitas, & à quibus actibus, mox dicemus.

Secundò displicet, quia licet illi duo actus fidei versentur circa idem obiectum, non possunt tamen fieri absque eo, quod voluntas imperet duos: sicut enim licet omnes gradus intensificationis in actu versentur circa idem obiectum, non potest fieri actus intensus, si voluntas imperat actum remissum: multo minùs poterunt fieri duo actus, si voluntas imperet vnum solum.

Vnde argui potest tertio, quia si essent duo actus, duplò magis fatigaretur homo, quàm si eliceret vnum, sicut magis defatigatur eliciens actum intensum quàm remissum: hoc autem manifestè repugnat experientiæ; neque enim magis defatigamur eliciendo actum fidei, quàm assensum scientificos. Rursus si essent duo actus, magis distraheretur virtus intellectus, aut voluntatis, quando operaretur circa eiusmodi materias virtutum quàm circa alia obiecta, quia haberet duplò plures actus, atque adeo minùs posset attendere ad alia obiecta: quod tamen est etiam clarè contra experientiam. Adde, quod non solum ex parte intellectus, sed etiam ex parte phantasie debet duplicari defatigatio; nam propter dependentiam & connexionem intellectus nostri cum phantasia, singulis actibus nostri intellectus, saltem quando versantur circa diuersa obiecta, correspondet in phantasia alius actus: cum ergo actus fidei diuina, & fidei acquisitæ habeant per se obiecta formalia diuersa, debent illis correspondere actus, phantasie diuersi, qui duplò magis defatigaret & grauarent vires phantasie.

Quartò argui potest, quia si est necessaria connexio inter illos duos actus, eo quod (ut aduersarij dicunt) voluntate imperante assensum propter diuinum testimonium, virtus naturalis intellectus, elicit etiam assensum, quem potest circa diuinum testimonium non sistendo in ipso, sed

184

*Non magis
defatigamur
eliciendo a-
ctum fidei,
quàm assen-
sus scientifi-
cos.*

185

in

in motu humano: ex hoc, inquam, sequitur quod assensus ille naturalis debeat etiam esse ex parte intellectus ita firmus, sicut est assensus fidei diuinæ: ideo enim per assensum fidei diuinæ intellectus assentitur firmissimè, & super omnia obiecta, quia voluntas piæ affectionis imperat eam firmitatè, & adhesionem. Cum ergo assensus ille naturalis proveniat ex eodem imperio voluntatis, quasi per redundantiam, quatenus intellectus virtute etiam naturali eo modo, quo potest, tendit in idem obiectum; oportet quod tendat æquè firmiter; quia non est, vnde, aut à quo limitetur in modo adhaerendi firmiter, sed per utrumque assensum adhaerebit firmissimè eidem obiecto materiali, & per consequens per utrumque adhaerebit firmissimè obiecto formali, non potest enim firmitus adhaerere obiecto materiali, quam formali: vnde simul credet super omnia reuelationem Dei per actum supernaturalem & simul credet etiam super omnia testimonium humanum, & eius veracitatem per actum naturalem, in quo iam sibi contradiceret, credendo magis reuelationem præteritam, quam omnia alia, & simul credendo per alium actum magis testimonium humanum, quam reuelationem præteritam cum hanc credere propter illud.

186.

Hinc ita ad secundum punctum veniendo illius sententiæ, quatenus docet solos actus naturales percipi à nobis, & non supernaturales: hoc, inquam, multo magis displicet. Nam ij Theologi concedunt, per solos actus supernaturales hominem mereri, ex quo fit, nos non percipere vnamquam villo modo, aut experiri in nobis eos actus, quibus Deo placemus, aut meremur aliquid in ordine ad salutem. Quæ doctrina non satis coheret cum modo loquendi Scripturæ, & sanctorum Patrum, qui de his affectibus, & de ea fide, dilectione, ac penitentia, quam experimur loquuntur, & dicunt, illam Deo placere, illam Deum placare, mereri vitam æternam &c. De voluntate enim bona, quam in corde suo expertus fuerat Dauid edificandi templum Domini, loquitur *Psalm. 131*. & repræsentat Deo ad obtinenda eius beneficia, dum ait. *Memento Domine Dauid; & omnis mansuetudinis eius, sicut iuravit Domino, votum vouit Deo Jacob, &c.* ubi certè de illa solum voluntate loquitur, quam recordabatur se habuisse, & de illa subiicit remuneratam fuisse à Deo largi illa, & magnifica pollicitatione: *Iuravit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* De illa enim voluntate, quam in se expertus fuerat Dauid, dixit ei Deus (vt habetur *3. Reg. cap. 8.*) *quod cogitasti in corde tuo edificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente tractans. Veruntamen tu non edificabis mihi domum sed filius tuus.* Vnde de voluntate etiam, quam in se experiebat Salomon eodem *cap. 8. vers. 28.* & de oratione, quam in se percipiebat, loquitur, vt eius intuitu Deum moueat. *Respicere ad orationem serui tui, & ad preces eius, audi hymnum, & orationem, quam seruus tuus orat coram te hodie, sicut & Dauid Psalm. 26.* repræsentat orationem suam præteritam, cuius recordabatur, vt ab ea moueatur Deus. *Exaudi Domine vocem meam, qua clamaui ad te. Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea.* Sic Ezechias repræsentabat Deo voluntates sua bonas præteritas, quas in se expertus fuerat, & quarum memoriam habebat, vt eorum intuitu beneficia impetraret

4. Reg. 20. Obsecro Domine, memento quoque, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim. Quod ipsum faciunt quotidie pii homines offerentes, & repræsentantes Deo bona desideria, quæ vnquam habuerunt, & quorum recordantur, vt eorum intuitu aliquid obtineant. Sic offerimus Deo orationem, in fine illius petentes, vt eam Deus acceptet ad præmium, & remunerationem. Dicere autem, quod non loquimur tunc de oratione, aut desiderijs pijs, quæ percipimus, & quorum recordamur, sed de alijs, quorum nec recordamur, nec ea vnquam percipimus alienum longè est ab omnium fidelium sensu, & mente. Quis enim fidelium credat actus penitentia, contritionis, dilectionis Dei feruentissimæ, quos S. Franciscus per totam vitam expertus est in se, inutiles fuisse ad salutem, & meritum, solumque meruisse per alios actus occultos, qui nobis ignorantibus, in nobis fiunt, & quorum postea recordamur?

Adde, si ea doctrina vera esset, opera bona externa maxima ex parte non solum non essent meritoria, sed nec oriuntur ex fide. Opera enim externa frequenter fiunt, vel certè continuantur ex applicatione præterita, qua voluimus illud opus facere, & quæ dicitur virtualiter perseverare. v. g. Sacerdos ex intentione præterita, qua se applicuit ad celebrandum, etiam si postea si distractus, prosequitur, & offert verum sacrificium, quod oritur ex intentione præterita virtualiter perseverante: illa autem perseverantia virtualis, vt alibi explicui, est volitio præfens confusa, & tenuis, qua volumus loqui, vel operari ad illum finem, quem iam prius intendimus, & volumus: per quem actum confusum volumus operationem præsentem ad illum effectum, quem prius nos intendisse recordamur. Vnde totum hoc præfens, quicquid est, oritur ex memoria confusa alicuius intentionis præteritæ. Si ergo non habemus memoriam ullam illius voluntatis supernaturalis ortæ ex fide, sed solum alterius naturalis, quæ per te non oritur ex fide diuina, sed ex fide acquisita, & naturali, consequens est, vt oblatio præfens sacrificij villo modo non oriatur ex fide, atque ideo nec denominatiue sit meritoria. Quod idem procedit in Eleemosyna, in obsequio pauperibus, & infirmis exhibito, & alijs pijs operibus, quæ saltem in continuatione nullo modo oriuntur ex fide, sed ex illa cognitione, & intentione naturali, cuius solius per se memoriam habemus: nam illa alia supernaturalis perinde se habet, ac si nunquam in nobis præcessisset.

Denique in materia nostra de actu fidei in particulari sunt duo alia inconuenientia. Primum est, quod tetigimus *supra sect. 3.* ad hominem eo quod auctores illius sententiæ dicunt, actum fidei diuinæ habere aliud diuersum motum formale à motu fidei naturalis, quia illa tendit ad diuinum testimonium sistendo in ipso, hæc vero resoluit ulterius testimonium Dei in motum humanum. Vnde fit si à nobis non percipiuntur actus fidei diuinæ, quos habemus, sed soli actus fidei naturalis, numquam nos perceperisse, nisi assensus qui tendunt ad testimonia humana: quare licet sæpe conari sumus assentiri propter testimonium diuinum sistendo in ipso, experientia tamen comperimus nunquam id petuisse obtinere: nam licet ille etiam assensus supernaturalis fiat, est tamen

men nobis omnino occultus, atque adeo perinde est ac si non esset: eodem enim modo experimur nos non illum habere, sicut experimur non habere alios actus, quos non habemus: negationem enim aliorum actuum solum agnoscimus, ex eo, quod non percipiamus in nobis tales actus, sicut nec experimur assensum illum supernaturalem propter tale motuum formale, magis quam si reuera non esset. Vnde sicut, qui saepe conatus est loqui, & expertus est, se non loqui, nec mouere linguam, aut labia, non conatur deinde id, quod experitur non fieri: sic qui per tot annos conatus est assentiri propter illud motuum formale, & semper expertus est, se solum assentiri propter aliud motuum, nec habere se illum alium assensum, quem desiderabat; nisi insanire velit, cessabit ab eiusmodi conatu. Imò de facto, quia homines ab experientia ducuntur, non imperant sibi nisi assensus similes illis, quos experti sunt, & credere prout recordantur se credidisse: recordantur autem se nunquam credidisse, nisi propter motiua humana iuxta hanc sententiam, ergo illum solum modum credendi sibi deinceps imperabunt.

Alterum inconueniens est, quia si solum assensum fidei naturalis percipimus, ergo solum percipimus nos firmiter credere ea firmitate, cuius capax est assensus fidei acquisita, quae per te reuoluitur in motiua humana, atque adeo non est capax eius firmitatis, quam habere debemus, cum credimus Deo propter eius testimonium: non possumus ergo experiri in nobis fidem firmam, sed infirmam, & minorem, quam eam, quam non experimur. Quomodo igitur audacter dicunt Patres, & dicimus etiam nos, quod firmitissime credimus mysteria nostrae fidei? possumus quidem dicere, quod velimus credere firmitissime; tamen experientia nos docet, nunquam obtinere; semper enim experimur solum assensum infirmum loco illius firmissimi, quem volebamus habere. Si autem dicas, illum etiam assensum fidei naturalis fieri firmissimum propter connexionem, quam habet cum assensu fidei diuinæ, iam eo ipso derogas fidei diuinæ, per quam in actu exercito protestamur nos plenis facere auctoritatem, & testimonium Dei, & firmitus ei credere, quam omnibus prorsus motuiis, & auctoritati hominum sistendo in ipsis.

Nunc iam respondeamus breuiter ad tria illa fundamenta, quibus hi Theologi mori sunt ad ponendos omnes actus meritorios omnino occultos iis ipsis, qui eos habent. Primum argumentum erat, quia ex actibus fidei, & aliarum virtutum generantur habitus, qui tamen ex actibus supernaturalibus non possunt generari, ergo dantur simul alij actus naturales, ex quibus illi habitus generantur. Hoc argumentum iam supra vidimus quomodo pariter contra ipsos retorqueretur: ad illud verò responderetur in mea sententia nullam esse difficultatem; dixi enim in libro de anima, habitus acquisitos esse species bene coordinatas & intensas, ac memoriam actuum præteritorum, quæ omnia reddunt potentiam magis promptam ad idem obiectum iterum amplectendum, vel credendum. Hæc autem facilitas non minus habetur per actus supernaturales, nam vtrorumque manet species, vt mox dicam. In sententia verò ponente habitus acquisitos, qui sint qualitates superadditæ diuersæ à speciebus,

Card. de Lugo de Virtute Fidei Diuina.

&c. consequentiùs procedunt, qui admittunt, ex actibus etiam supernaturalibus generari eiusmodi facilitatem, prout docet latè Arriaga *disput. 9. de anima sect. 1. subsect. 2.* in quam sententiam propensum se ostenderat Hurtado *disput. 16. de anima sect. 8.*

Ad secundum argumentum, quo probabant, non posse nos recordari actuum supernaturalium, nec eos percipere, quando sunt, eo quod sint supernaturales, dixi latè in *tractatu de Deo*, vbi circa supernaturalitatem visionis Dei examinauimus hanc cognoscibilitatem entis supernaturalis, & dixi entia supernaturalia esse in duplici differentia: aliqua enim sunt supernaturalia simpliciter, vt gratia, habitus infusi, &c. alia sunt supernaturalia præsuppositiue, qualis est cognitio euidentis, qua Angelus scit aliquem hominem mortuum resurrexisse, quam cognitionem non potest vnquam habere nisi præsupposito miraculo, scilicet, quod ille homo resurrexerit, quod viribus naturæ non potest fieri: posito tamen illo miraculo, viribus naturæ habet Angelus cognitionem euidentem, qua scit, illum hominem post mortem resurrexisse: quæ cognitio existere non potest, absque miraculo præsupposito: illo autem posito, connaturaliter debetur Angelo concursus ad illam cognitionem; nec ad illam indiget habitu infuso, aut principio aliquo supernaturali ex parte potentie, quia ipsi naturæ debetur. Sic ergo diximus, licet homo non possit experiri suos actus supernaturales, nisi præsupposito aliquo, quod superet vires naturæ, scilicet ipsis actibus, quos experitur; illis tamen actibus suppositis, debetur connaturaliter homini cognitio reflexa confusa, qua experietur confusè illos, eo quod naturæ intellectuali debeatur cognitio suarum operationum, quæcunque illæ sint, propter grauissima inconuenientia, quæ sequerentur, si ipse homo nesciret, quid veller, aut quid sciret. Hinc ergo est, quod ad eiusmodi actus reflexos non indigeat habitu infuso, quia non elicit eos per potentiam obedientialem, sed per virtutem naturalem, qua exigit talem cognitionem reflexam, non sicut posito lumine gloriæ debetur visio Dei, quia hæc non debetur naturæ, sed luminis: at verò cognitio reflexa proprii actus debetur ipsi naturæ, quæ quatenus intellectualis est, exigit, scire, quid velit, & quid nolit: non ergo superat exigentiam, aut vires naturæ illa cognitio, nisi præsuppositiue, quatenus supponit aliquod excedens vires naturæ, quæ omnia latius explicui in prædicto loco. Vide etiam, quæ dixi; *disput. 20. de Incarnatione sectione 2. n. 27. & sequentibus*, vbi adduxi alias rationes ad probandum, quod non debeant fieri simul illi duo actus naturalis, & supernaturalis circa idem obiectum formale, & materiale.

Hinc inferitur decisio etiam illius quæstionis vulgaris, vtrum quando generatur assensus fidei Christianæ, necessariò prærequiratur aliquis assensus fidei acquisita, vt conditio, vel causa. Cui quæstioni Respondeo negatiue: nam licet prærequiratur assensus credibilitatis, vt postea videbimus, non tamen assensus ipsius mysterij: hic enim antecedenter ad piam affectionem, solum posset esse probabilis, assensus autem probabilis non oritur necessariò positus motuiis, quia potest apparere aliqua ratio in contrarium, qua suspendatur intellectus, donec determinetur à voluntate, vt infra videbimus.

E SECTIO

191

Entia supernaturalia sunt in duplici differentia.

Ad actus reflexos homo non indiget habitu infuso.

Cognitio reflexa proprii actus debetur ipsi naturæ.

192

An quando generatur assensus fidei Christianæ, necessariò prærequiratur assensus fidei acquisita vel conditio vel causa.